

Meritorum in Altissimo Servitio sibi comparatorum denominare dignatus est: qui alacre studium suum summo Terrae Principi et Patriae servitio residuū vitae suae dies conseruandi professus, Officii Juramentum deposuit in haec verba: Ego Baro Vicentius Knesevich Juro per Deum Vivum, B. V. M., Omnes Sanctos et Electos Dei, quod Ego, qua per Excellentissimum Dominum Comitem Banum in Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Vice-Capitaneum denominatus, me in omnibus, quae ad hocce mihi Collatum Officium pertinent, Legibus et approbatis Regnorum horum Consuetudinibus adamussim conformabo; Quosvis in negotio Insurrectionis mihi per Excellentissimum Dominum Supremum Regni Capitaneum intimandos Ordines fideliter exequar; arma non dehonestabo, nec adstantem, quisquis is fuerit, socium relinquam; pugnabo pro aris et focis solus, et cum multis, Patriam nec turbabo, nec prodam, fidelitatem Regi et Regno servabo perpetuam, receptis Consuetudinibus parebo, et quascunque alias Rex cum Statibus Regni statuerit, tuebor solus, et cum multis; sic me DEUS adjuvet et Omnes Sancti.

Post cujusmodi Juramenti depositionem neodenominato Domino Regni Vice-Capitaneo competentem officio post Praepositum Zagrabiensem et Priorem Auranae Sedem capiente, Status et Ordines Suae Majestati Sacratissimae humillime supplicandum decreverunt, ut cum a tempore adauctae Anno 1770 in Superioribus Slavoniae Comitatibus Contributionis pro Salario Vice-Capitanei singulis Annis in Altissimum Aerarium floreni 1000 influant, Salarium hoc Sua Majestas Sacratissima tam neodenominato Regni Vice-Capitaneo, a die depositi Juramenti, 17. videlicet Januarii, quam et futuris in Officio Successoribus Benigne risolvere dignaretur.

Articulus Quartus.

De Sessione et Voto Gubernatori Fluminensi et Ablegatis Civitatis ejusdem in Generali Regnorum horum Congregatione tribuenda.

Cum Sua Majestas Sacratissima medio Benigni ddo. 19. Augusti A. P. Nro. 8751. editi Rescripti Regii Clementer admittere dignata sit, ut Portu et Civitate Fluminensi Regno Hungariae tenore Articuli 4. 1807, provocative ad Diploma Theresianum, incorporata, ac una Statibus ejusdem Regni et Partium adnexarum adnumerata existente, Gubernatori Fluminensi et Littoralis Hungarici, prout et Ablegatis Civitatis Fluminensis etiam in Generali Regnorum horum Congregatione in sequelam praecitati Articuli, Civitati vero Buccaranae in sequelam Articuli 27. ejusdem Diaetae Sessio et Votum tribuatur: pro Benigna hac Resolutione Status et Ordines Suae Majestati Sacratissimae humillimas grates agendas concluderunt, et in Conformitate ejusdem Gubernatori Fluminensi et Ablegatis Sessionem et Votum assignarunt, Sua Banali Excellentia interpellata, ut eosdem ad Generales Regnorum horum Congregationes in futurum semper invitare dignetur.